

78 N 14 [61-63]

X 3164687

OBITVM  
VIRI  
SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI  
ET AMPLISSIMI  
DOMINI  
HENRICI  
THEOPHILI  
SCHNEIDERI

SS. THEOL. DOCT. ANTISTITIS MARTISBURGENSIVM  
ECCLESIIARVM CATHEDRALIVM ET  
CONSISTORII DVICALIS  
IBIDEM ASSESSORIS

LVGENT

GEORGIVS FRID. SCHROEER, D.  
ET  
MARTINVS GOTTHELFF LOESCHER, D.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.



Kapsel 78 N 14 [61]

AV



**L**heu quam tristi turbatur funere rursus,  
Atque afflicta gemit sancta caterua Dei!  
Succubuit letho **DIVUS SCHNEIDE-**  
**RVS** acerbo,

Et manus illius pallida linquit oues.

Accipite haec, *Sancti*, lacrymarum flumina,  
*Manes*,

Vltima queis pietas busta madere iubet.

Purior en coetus conceptum mente dolorem

*Tanti* morte *Viri* iam cohibere nequit.

Israël haec fidi Samuelis funera luget:

Per Martisburgum naenia moesta sonat.

Addimus & nostrum luctum uigilesque dolores,

Noftraque dat pia mens haec monumenta  
*Viro*.

Coniunctae in **TE**met uirtus artesque fuerunt,

Inque gregem meritis emicuere suis.

Antistes sacri coetus pietate coruscet,

Et Verbo sancto dogmata pura tegat.

Et pietas & amor ueri sub pectore regnent.

Non pius est, qui non dogmata pura fouet.



Nam, sine Palladio ueri, uelut umbra uagatur  
Apparens pietas, pondere uique carens.  
Sanctifica, Seruator ait, Tua uerba colentes  
In uero uerbo, quale Tuum, Genitor.  
Non satis est, sanctos toruosque effingere uultus,  
Oraque mentiri relligiola dolo.  
Si fons impurus, liquidus nec profluit humor:  
Pessima si radix, est quoque fructus iners.  
Sic minime sanctam promunt mendacia uitam.  
Qui spernit uerum, fucus ei pietas.  
Illibata TIBI probitas, *Mens Dina*, manebat.  
Et gregis exemplum, pastor & eius, eras.  
Explebatque suas constans industria partes,  
Et sincerus amor rite fouebat oues.  
Innocuis humanus eras, prauisque seuerus.  
Comis erat uultus cum grauitate TVVS.  
Absque colore fuit TIBI, fallere nescia, uirtus  
Nec fregere animum tristia fata TVVM.  
Nil nisi TE tenuit meriti fiducia Christi:  
Spes nulla in coeptis, gloria nulla TVIS.  
Verum & praeterea TVA sancta labella docebant  
Dogmata perpetuo non temerata Dei,  
Vitasti errorum male tecta pericla malorum,  
Nec plaufit placitis prouida cura malis.  
Verba tuebaris uere inuiolata Tonantis,  
Ceum summi pretii nobile depositum.  
Iamque fidem tantam coelestis uita coronat.  
Iam constans uirtus praemia celsa subit.  
*Chare DEO Gideon*, gesfisti bella Iehouae,  
Hostes uicisti, nunc TVA palma uiret.



Cura TIBI fuerat certe per *Martia Castra*:

Nunc est in Solymae sedibus alta quies.  
Tam facunda olim clausit TVA labra sepulchrum,  
Pulchrius ast potuit nunc aperire polus,  
Triste TVVM nobis lethum, sed quam TIBI laetum,  
Cum dolor & lacrymae tot superata bonis.  
TV gaudens habitas segura palatia coeli,  
Cum nostra interea pectora moesta gemunt.  
Quae tamen abstergunt lacrymas TIBI, gaudia coeli,  
Abstergunt nostris flumina falsa genis.  
Et TV, uulneribus medicamen porrige nostris,  
Attonita, Omnipotens, erige corda, Pater.  
Totque malis tremulam *Gentem* solare potenter,  
Et *Sobolem* in gremium suscipe quaeso TVVM.  
Tandem ouibus pastor similis tot damna rependat,  
In quo uirtutum uiuat imago *Viri*.  
Interea TVA fama uiget, *Celeberrime Doctor*,  
Nec Libitina, TVVM nomen, & urna rapit.





78 N 14 [61-63]

X3164687

# OBITVM VIRI

SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI

T AMPLISSIMI

OMINI

NRICI

EOPHILI

NEIDERI

ET. ANTISTITIS MARTISBURGENSIUM

ARVM CATHEDRALIVM ET

ONSISTORII DVCALIS

IBIDEM ASSESSORIS

LVGENT

VS FRID. SCHROEER, D.

ET

S GOTTHELFF LOESCHER, D.

RGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.



Kapsel 78 N 14 [61]

AV

